

sensu partis, et obligatione de non incurrendo amplius in similia, datur facultas absolventi in forma; eadem sac. congr. Immun. in *Papien.* 27 Aug. 1697, lib. II *Decret. Vallem.*, pag. 110, apud Riccium, verb. *HOSPITATIO*, n. 5.

(25. Neque bona episcopi gravari possunt hospitatione militum; ead. sac. congr. Immun. in *Regien.* 12 Januarii 1642. Imo censuit domos ecclesiasticorum, quanquam laicis locatas, esse exemptas ab hospitatione militum; ead. S. congr. Immun. in *Novarien.* 9 Junii 1627, apud Pignatell., *loc. cit.*, n. 10.

(26. Onus hospitationis militum non est personale, sed mixtum, ideoque clericus conjugatus ab eo non est exemptus, nisi concurrat consuetudo; eadem sacra. congreg. Immunit. 13 Julii 1649, lib. III *Decret. Paul.*, pag. 120.

(27. Miles præsidiarius sepeliri debet in parochia arcis, ubi actualiter moratur, non autem in alia parochia ubi retinet domum apertam cum uxore, et filiis; sac. congr. Conc. in *Romana Juris sepeliendi* 17 Augusti 1596, apud Ursayam in *Miscellaneo 1 sacro, et profano*, litt. M, n. 203.

(28. Militum stationes non præbent justam causam dispensandi populum ab observantia Quadragesimali; Benedict. XIV, tom. I, const. 130, incip. *Libentissime*, § 19. Milites Mauriti imperatoris lege prohibiti sunt monasticam vitam amplecti, sed contra hanc

MILITIA (60).

SUMMARIUM.

1. De Militia S. Georgii martyris, sancti Janua-

(1. Militia S. Georgii M. a duce Bavarie erigitur, et in ea constituuntur sex officia ecclesiastica cum Approbatione apostolica conferenda viris nobilibus equitibus ecclesiasticis, quorum primus episcopali dignitate, et caractere sit insignitus, ut pontificalia munera in ordinis præfati ecclesia sub invocatione sancti Georgii martyris Deo dicata, et ab omni ordinarii episcopi loci jurisdictione immunis, et exempta exercere valeat. (2. Secundus, cum præpositi nomine, et pontificalium usu, ut vices antistitis, hoc absente, vel legitime impedito, expleat. (3. Tertius, ac quartus cum decanorum nominibus, qui divinis officiis, sive Horis canonicis cum aliorum militum equitum interventu in dicta ecclesia persolvendis in choro intersint. (4. Quintus ac sextus denique elemosynarii ab honore appellati, a quibus decanorum munera ipsis absentibus pariter, aut legitime impeditis, præstentur, Benedictus XIV, tom. I, constitut. 32, incip. *Militares*, § 2 et 3, et per tot.

(5. Militia S. Januarii a Carolo utriusque

(60) Historiam ordinum militarium et equestrium, præter Hermantium, et Bonannium, dabunt Bernardus Giustiniani, in italico opere Venetiis excusso 1692, fol. 1, *Istorie cronologiche dell'origine degli ordini militari, e di tutte le religioni cavalleresche*, et Hono-

legem scripsit S. Gregorius M. Idem to. II, constit. 25, incip. *Ex quo dilectus*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. De re militari consule Vœt. *Lib. de singul. De jure militar.*, octo hisce capitibus absoluto. Primum est de bello in genere, et nonnullis ejus speciebus, ac divisionibus. Secundum de militia: qui, et quales, et quomodo in militiam sint ascribendi. Tertium de variis militum gradibus, ac speciebus, præsertim de exercitus imperatore, ejusque requisitis. Quartum de delictis, ac criminibus militum, eorumque pœnis. Quintum de præmiis militum, et præda bellica. Sextum de privilegiis militum, et aliis quibusdam, præter jus commune quoad milites constitutis. Septimum de judiciis militaribus. Et octavum de missione militum, et pace. Confer etiam Burges *Singular. observat. juridic. politic. militar.*, centur. quatuor. * Præter Voetium præstabit consulere Gerardi Sichtermanni, *De penis militaribus*, eruditum tractatum, Amstelodami 1708, multæ leges, variæque antiquitates optime illustrantur; præsertim vero Joann. Christiani Lunigii, *Corpus juris militaris*. Lipsiæ 1723, fol. Exstant, et alii duo libri non contemnendi, qui huic argumento inserviunt, Balthasar Ayala, *De jure et officiis, nec non disciplina militari*, Antuerpiæ 1597, et Lovanii 1648, et Joachimi Burgeri, *Observationes militares*, Coloniae 1631, in-4°.

rii, S. Joannis Hierosolymitani, et SS. Mauriti et Lazari varia proferuntur, ad n. 14.

Siciliæ rege erecta confirmatur, ejusque officialibus, et militibus indulta, et privilegia varia conceduntur. Id., constit. 24, incip. *Romana Ecclesia*, per tot.

(6. Militia hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani laudatur, et ipsius militibus, et subditis conceduntur indulta cruciatæ. Idem, constitut. 86, incipien. *Quoniam*, per tot. (7. Super ejus tremibus permittitur celebratio missæ cum solitis opportunitis cautelis. Idem, constit. 41, incip. *Exponi*. Vide ad verb. *HIEROSOLYMITANI MILITES*.

(8. Militia Sancti Lazari Hierosolymitani a S. Pio V reformata, a Gregorio XIII unita fuit militiæ Sancti Mauriti; et Clemens VIII privilegiorum communicationem inter eos indulsit. (9. Inter quæ aderat facultas a S. Pio V concessa erigendi commendas ex beneficiis ecclesiasticis simplicibus de jure patronatus laicorum. Idem, constitut. 10, incip. *Fructuosa*, § 1, 3 et 4.

(10. Militia S. Mauriti martyris a Gregorio XIII erigitur sub regula Cisterciensi. Ejus sedes principalis in Sabaudia, et magnus

ratus a S. Maria in Gallicis dissertationibus historicis, et criticis *sur la chevalerie ancienne et moderne, séculière et régulière*, avec des notes; Parisiis, 1718, in-4°.

magister Sabaudie dux constituitur. (11. Eidem unitur militia Sancti Lazari Hierosolymitani, et Clemens VIII confirmat unionem cum communicatione privilegiorum. Idem, *ibid.*, § 2, 3 et 4.

(12. Dictæ militiæ SS. Mauriti et Lazari magno magistro conceditur, ut ex beneficiis ecclesiasticis simplicibus de jure patronatus laicorum erigere possit commendas sui ordinis, de consensu patronorum. Idem, *ibid.*, § 6. (13. Et probationes super natura hujusmodi beneficiorum fieri possint coram nuntio apostolico apud Sardinie regem, et Sabaudie duce residente, sive coram archiepiscopo Taurinensi, aut episcopo viciniori. Idem, *ibid.* (14. Et erectiones com-

MINISTER SACRAMENTORUM.

SUMMARIUM.

1. Minister sacramentorum novæ legis est qui, nomine Christi operans, sacramentum conficit. — 2. Minister sacramentorum de lege ordinaria, et ex vi præsentis institutionis, est solus homo viator. — 3. Minister sacramentorum extraordinarius potest esse creatura rationalis, sive anima separata, sive angelus, sive etiam dæmon, si a Deo assumatur. — 4. Dicunt tamen aliqui quod si quis a S. Petro, vel alio beato extraordinarie absolveretur a peccatis, esset quidem vere absolutus, attamen maneret obligatus ad confitenda mortalia homini victori et ad subjicienda directe clavibus Ecclesiæ militantis. — 5. Non quivis homo est cujusvis sacramenti minister. — 6. Minister baptismi, confirmationis, eucharistiæ, poenitentiae, extremæ unctionis, ordinis et matrimonii qui esse possit? *remissive*. — 7. Qualis intentio requiratur in ministro sacramentorum? *remissive*. — 8. Minister sacramentorum debet habere intentionem internam, ut valide sacramentum conficiat. — 9. Ad hoc sufficit attentio virtualis. — 10. Quenam sit attentio virtualis, actualis et habitualis, interna et externa? *remissive*. — 11. Minister voluntarie distractus in conficiendis sacramentis, quamvis ordinarie non peccet nisi venialiter, potest tamen interdum peccare mortaliter. — 12. Minister sacramenti specialiter ad id consecratus, solemniter ex officio conficiens sacramentum in mortali, peccat mortaliter, nisi adest casus extremæ necessitatis vel impossibilitatis. — 13. Laici, et non sacerdotes baptizantes in mortali, non committunt novum peccatum mortale. — 14. Etiam sacerdos non peccat mortaliter, cum in casu extremæ necessitatis puerum agonizantem, non prius contritus de mortali illico privatim baptizat, seu moribundum aduatum absolvit. — 15. Imo multi volunt, tam laicum, quam sacerdotem privatim in casu extremæ necessitatis puerum agonizantem baptizantes, et sacerdotem aduatum absolventem, nullum peccatum, ne quidem veniale committere, si interim, urgente necessitate, nequeant se tam cito disponere ad contritionem. Quintimo volunt potius eos peccare, si in tali casu non baptizent et non absolvant. — 16. Minister sacramenti baptismi et poenitentiae existens in mortali peccat mortaliter, quoties illud extra casum necessitatis ministrat, interruptis moraliter ministeriis. — 17. An minister ordinarius seu alius sacerdos una vice, et velut uno moraliter ministerio duos gemellos, aut etiam plures continue baptizans,

(61) Quæ ad ordinum militarium jura aliaque a theologo et juris ecclesiastici perito disquirenda pertinent, habes paucis apud Ascanium Tamburinum, *De jure abbatum*, tom. II, p. 462, seqq., Co-

FERRAR. V.

mendarum confirmari per litteras in forma brevis, vel etiam per simplex decretum congreg. Episcoporum et Regular. vel concilii Tridentini. Idem, *ibid.*, § 7.

(15. Officiales patentati SS. Mauriti et Lazari subjiciuntur jurisdictioni ordinarii; cum enim nonnulli sacerdotes diocesis Uritanæ litteras, quas *patentales* vocant, obtinuissent a vicario commendæ SS. Mauriti et Lazari, et ob id se immunes censerent a jurisdictione ordinarii; propósito dubio, an officiales patentati SS. Mauriti et Lazari sint exempti a jurisdictione ordinarii? Sacra congregatio Conc. in *dicta Uritana* die 7 Septembris 1726 respondit *negative*, apud *Thesaurum Resolut.* dicti anni (61).

vel absolvens, peccet toties quoties successive baptizat seu absolvit? *remissive*. — 18. Sacerdos mortaliter peccat quoties in mortali celebrat, et in die Natalis Domini tria peccata mortalia committit. — 19. Item mortaliter peccat sacerdos conferens in mortali extremam unctionem. — 20. Item mortaliter peccat episcopus conferens in mortali confirmationem et ordines. — 21. Item mortaliter peccat contrahens matrimonium in mortali, non solum prout est suscipiens, sed etiam prout est ministrans. — 22. Parochus assistendo matrimonio, non peccat mortaliter. — 23. Quamvis ministrans sacramenta extra casum necessitatis in mortali peccat mortaliter, valide tamen illa ministrat. — 24. Sic etiam ad valorem baptismi non requiritur fides ministri. — 25. Ministri sacri, qui ministrando sacramentum non conficiunt, sed sacramentum jam confectum solum aliis applicanti, aut distribuunt in mortali, probabiliter non peccant mortaliter: sicuti nec peccant mortaliter, in mortali conficientes sacramentalia, aut res sacras tractantes. — 26. Minister dignior non causat plus gratiæ ex vi sacramenti, seu ex opere operato; potest tamen minister dignior ex opere operantis mereri, aut impetrare majores gratias suscipienti independentes a sacramento. — 27. Minister per se loquendo peccat mortaliter, si sacramentum ministrat scienter indigno. — 28. Minister ordinarie peccat mortaliter conferendo sacramentum peccatori publico et notorio, sive illud ei conferat privatim, sive publice. — 29. Si vero talis peccator esset in articulo mortis constitutus, tunc posset, imo deberet minister ei petenti sacramentum conferre. — 30. Minister peccat graviter, si sacramentum ministrat occulte peccatori occulto, nisi indignitas peccatoris occulti esset cognita ex sola sacramentali confessione. — 31. Minister non peccat ministrando sacramentum peccatori occulto publice illud petenti. — 32. Minister nullo unquam casu, neque ob metum mortis sibi incussum, potest licite ministrare sacramentum incapaci. — 33. Potest tamen ob metum mortis licite ministrare sacramentum scienter indigno. — 34. Dummodo tamen non petatur in odium fidei, vel contemptum religionis. — 35. Per se loquendo non est licitum petere et recipere sacramentum a ministro notorie indigno, qui prævidetur et creditur ipsum collaturus in peccato mortali. — 36. Si peccatum ministri non sit publicum et notorium, potest quis licite petere et recipere ab eo sacramentum. — 37. Ob causam necessitatis vel utilitatis notabilis licitum

lon. edit. 1691, cum primis vero adi Andrea Mendo, *De ordinibus militaribus disquisitiones canonicas, theologicas, morales et historicas*; Lugduni (quæ auctior prima editio est), 1668, in-fol.

est petere et recipere sacramentum a ministro indigno, qui possit digne ministrare, quamvis prævideatur et credatur indigne administraturus. — 38. A ministro cui incumbit ex officio sacramenta ministrare, licitum est ea petere et recipere, etiam extra casum necessitatis solo intuitu proprii profectus specialis, quamvis ille sit notorie indignus, et etiam excommunicatus toleratus. — 39. Non licet tamen petere et recipere sacramenta a ministro excommunicato non tolerato, et vitando. — 40. Excipite tamen casum extremæ necessitatis. — 41. Minister simulans, non solum formaliter, sed etiam materialiter administrationem sacramenti ob metum gravem quemcunque etiam mortis, peccat mortaliter. — 42. Simulatio tamen materialis circa rem plane indifferenter se habentem ad sacramentum per se loquendo, si non adsit alia vitiosa circumstantia, non est illicita. — 43. Gravius peccat qui simulat administrationem sacramenti, quam qui sacrilege illud conficit seu administrat. — 44. Minister in administratione sacramentorum sequens sententiam tantum probabilem de valore, relicta tutiore, peccat mortaliter. — 45. Si non agatur de valore sacramenti, sed tantum de modo administrandi, potest minister sequi opinionem practice probabilem, relicta tutiore. — 46. Minister utens materia vel forma falsa peccat mortaliter. — 47. Item peccat mortaliter per se loquendo, si utatur materia, vel forma dubia; in casu autem quando non potest habere certam, potest et debet adhibere dubiam. — 48. Item peccat

(1. Minister sacramentorum novæ legis est qui, nomine Christi operans, sacramentum conficit. *Communis*. Unde in rigore, qui eucharistiam tantum distribuit, non est proprie minister, quamvis sæpe dicatur ministrare, latius sumendo. (2. Minister sacramentorum de lege ordinaria, et ex vi præsentis institutionis, est solus homo viator; Christus enim Dominus solos homines viatores allocutus est in institutione eorumdem sacramentorum; et ad ministerium extremæ unctionis, ex divo Jacobo apostolo requiri-

(62) *Nota editorum Casinensium*. — Martinus Lutherus impie asseruit omnes esse omnino ministros sacramentorum, non solum homines, sed etiam demones: «Ego non dicam (sic ille in libro *De missa privata*), quod papistæ dicunt, nullum angelorum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse. Sed e contra dico, si diabolus ipse veniret, et ego postea resciscerem diabolus sic irrepisse in officium pastoris Ecclesiæ, in specie hominis, vocatum ad predicandum, et publice in ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse missam, et absolvisse a peccatis, et tali munere functum esse juxta institutionem Christi, tunc cogemur fateri sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum baptismum, verum Evangelium, veram absolutionem, verum sacramentum corporis et sanguinis Christi nos accepisse.»

Hujusmodi assertum ex eo probare studet «quia fides nostra, dignitas et efficacia sacramentorum, non nititur qualitate personæ, sed Christi verbis, et ordinatione. Sive igitur persona bona sit, sive mala, sive uncta, sive non uncta, sive Satan, sive angelus, idem efficit, modo servet Christi ordinationem. Tum etiam quia Judas, qui erat membrum diaboli, non minus prædicabat et baptizabat quam cæteri apostoli (*Math. x*; *Joan. iv*, 1 et 2, ubi dicitur Christi discipulos baptizasse, ibi: *Quantum Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*). Cur igitur non possit diabolus quod possunt membra ejus? Apud Bellarm., *De sacram. in gen.*, l. 1, cap. 21.

Sit igitur propositio adversus hunc novatorem:

mortaliter omittendo intentionem requisitam. — 49. Minister repetens absolute formam sacramentalem, vel aliquid in ea, cum dubio tantum levi, et inani timore, per se loquendo peccat mortaliter. — 50. Quando tamen est prudens dubium de valore sacramenti collati, potest licite, imo debet minister illud iterare, saltem sub conditione. — 51. Minister, qui ex officio est pastor, tenetur ex justitia suis subditis, etiam extra necessitatem gravem, rationaliter petentibus sacramenta ministrare. — 52. Talis minister tenetur sub mortali cum quocumque magno suo detrimento temporali, et etiam cum propriæ vitæ periculo, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate spirituali alicujus sibi subjectæ ovis, ei ministrare sacramenta. — 53. Si autem esset unicus minister, quo sublato, deesset communitati minister sacramentorum, hic non debet singulis ministrare sacramenta cum probabili periculo infectionis, seu mortis, sine quo periculo aliis sacramenta ministrare posset. — 54. Minister, qui ex officio non est pastor, non tenetur ex justitia ministrare sacramenta; tenetur tamen ex charitate, etiam cum vitæ suæ periculo sacramenta necessaria ministrare in extrema necessitate spirituali alicujus. — 55. An minister baptismi valide et licite puerum alias sine baptismo moriturum, in flumen, vel puteum projicere queat, ad n. 56. — 57. Subnectuntur *Add. Romani theologi*, ad n. 67.

tur fides, quæ est solum propria viatorum. Sic tenent communiter doctores, imo La Croix, lib. 1, part. 1, n. 5, dicit sic tenere communiter auctores cum S. Thoma, in part., quæst. 64, artic. 7; Lugo, disp. 8, sect. 1.

(3. Minister sacramentorum extraordinarius potest esse quælibet creatura rationalis, sive anima separata, sive angelus, sive etiam dæmon, si a Deo assumeretur. *Communis* cum S. Thoma, in part., quæst. 64, art. 7, et Scoto, in 4, dist. 6, quæst. 1 (62). Unde,

«Minister sacramentorum homo ('viator') esse debet, non autem angelus, sive bonus, sive malus: est communis apud theologos.» Ita Bellarminus, *De sacram. in gen.*, l. 1, cap. 24. Et ut loquitur Vasquez: «Vera, et catholica sententia est: Ministerium sacramentorum debere esse hominem, angelum autem esse non posse. Hæc est certa apud scholasticos, et quamvis non sit expresse definita in conciliis, pro veritate tamen catholica habenda est, ita ut oppositum asserere sit error.» In III part. D. Thom., disput. 158, cap. 4, n. 5.

Et revera Deum hanc auctoritatem solis hominibus viatoribus dedisse, non autem angelis bonis, vel malis, ex S. Scripturis clarissime evincitur. Quippe *Matth. xxviii* solis hominibus dixit: *Euntes docete omnes gentes, etc.*; item *Luce xxii*, solis hominibus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; sic pariter solis hominibus dixit *Joannis, xx*, 23: *Quorum remiseritis peccata, etc.* Hinc apostolus Paulus *Eph. iv*, 8 et seqq. Christum inquit, ascendentem in cælum dedisse *dona hominibus*; postea hæc dona enumerat dicens: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios pastores et doctores... in opus ministerii*. Ac denique ad *Hebr. v*, 1: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*.

Probat 2. Nam sacramentum est signum sensibile; ergo non nisi per visibiles homines administrari potest.

Quare Chrysostomus lib. III, *De sacerdotio*, cap. 5,

si constaret sacramentum esse a beato seu ab angelo collatum, de ejus valore non esset dubitandum, quia certum est beatum seu angelum non nisi ex speciali Dei deputatione id fuisse facturum. Seclusa tamen certa

aperte testatur angelis non esse concessum quod est concessum hominibus ut sacramenta ministrent: «Qui terram incolunt, sic ille, in eaque commorantur, ad ea, quæ in cælis sunt, dispensanda commisi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque angelis, neque archangelis dedit Deus.»

Ad argumentum vero ejusdem Lutheri, quæ attulimus: quoad primum, scilicet quod efficacia sacramentorum non pendeat a qualitate ministri, respondet Bellarminus: «Concedimus sacramentorum efficaciam non pendere a qualitate ministri quacunquē. Non enim pendet a qualitate accidentali, ut est bonitas: tamen pendet a qualitate essentiali, sine qua non esset verus minister: talis autem in primis est, ut sit homo.» *De sacram. in genere*, lib. 1, cap. 24.

Ad aliud argumentum, quod Judas et membrum diaboli fuerit, et tamen vera sacramenta ministraverit, respondet idem Bellarminus: «Fatetur Judam, et membrum diaboli fuisse, et vera sacramenta ministrasse: negamus autem idem convenire diabolo. Nam Judas, non ut membrum diaboli, sed ut minister Christi sacramentum administravit: fuit autem Judas Christi minister, quia verus homo erat, et a Christo acceperat potestatem baptizandi, quorum neutrum diabolo convenit.» L. et cap. cit. «Mali homines, audiamus D. Thomam, non habent, quod possint ministrare in sacramentis, ex hoc quod per malitiam sunt membra diaboli; et ideo non sequitur quod diabolus, qui est eorum caput, magis hoc possit.» Part. III, q. 64, art. 7, ad 3.

Igitur «de facto, ac de lege Dei ordinaria, solus homo viator est legitimus sacramentorum minister.»

Quamvis vero «ad homines pertineat dispensare sacramenta, et in eis ministrare, non autem angelis:» extra ordinem tamen ipsorum potest Deus demandare angelis, seu animabus beatis. Ita communiter theologi cum D. Thoma, qui sic habet:

«Sciendum, quod sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis. Et quia boni angeli sunt nuntii veritatis, si aliquid sacramentale ministerium a bonis angelis perfereretur, esset ratum habendum: quia deberet constare hoc fieri voluntate divina: sicut quædam templa dicuntur angelico ministerio consecrata.» Part. III, q. 64, art. 7.

Contra vero idem D. Thomas docuit haud esse ratum habendum sacramentum quod ab angelo malo esset ministratum. Lubet ejus verba exscribere tenoris sequentis.

«Si vero demones, qui sunt spiritus mendacii, aliquid sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.» *Loc. cit.* Et eidem S. doctor alibi: «Dicendum, ait, quod diabolus in figura sacerdotis apparens, potest immergere, sed non sacramentum conferre, propter duas rationes: primo quia dispensatio sacramentorum non est concessa nisi hominibus... secundo si baptizare se fingeret, semper esset timendum, quod non faceret intentione baptizandi, quæ ad sacramentum exigitur, sed intentione decipiendi; quia non esset probabile quod tantum bonum homini procuraret, sicut est spiritualis regeneratio.» In 4 sent., dist. 5, quæstiuncula 2, art. 5.

Scotus sane in 4, dist. 6, q. 1, in eam ivit sententiam, dæmonem de præcepto, et jussu Dei sacra-

revelatione, ut ait Scotus *loco citato*, dubitandum esset de collato a dæmone, cum sit spiritus mendacii, et aliunde non quærat hominem salvare, sed perdere. S. Thomas quoque *loc. cit.* inquit: «Si... demones, qui

mentum ratum perficere; ibi:

«Si etiam malus angelus in corpore assumpto baptizet, et constet quod esset de præcepto Dei, talis habendus esset pro baptizato, quia oportet malum angelum, etiam invitum, obedire Deo.»

CL. Vasquez in III part. D. Th., disput. 158, cap. 1, n. 8, hanc sententiam Scoti referens, concludit pro negativa cum cit. D. Thom. et Thoma de Argentina, nempe nequaquam esse firmum et ratum hujusmodi sacramentum, quippe cum existimandum non sit, Deum, cui angeli boni non desunt, tale ministerium dæmoni committere velle. «Cæterum, sic ille, notandum est id quod ait S. Thomas, si quando accideret ut angelus bonus in humana forma assumpta ministraret sacramentum aliquod, fore ut ratum et firmum existimandum esset, non quia ordinariam habeat ad hoc potestatem, sed quia eo ipso, quod bonus angelus illud ministrasset, credendum esset ad jussa Dei fecisse, ac proinde Deum, qui est auctor sacramentorum voluisse sacramentum per angelum ministratum firmum et ratum esse. Hoc ipsum notavit Scotus... idemque dixit fore de angelo malo, si manifeste constaret, præcepto et jussu Dei sacramentum ministrasse, alioquin, nisi aperte constaret de præcepto Dei, pro nullo habendum esse; in quo etiam cum S. Thoma convenit, quamvis S. doctor, et Thomas de Argentina in 4, dist. 6, q. 1, part. 1, in fine, absolute dicant, et merito, ministratum a dæmone (sacramentum) nunquam habendum esse pro firmo et rato; neque enim existimandum est Deum illi hoc ministerium committere voluisse, cum boni angeli ipsi non desint.»

Suarez, in *Comment. in D. Th.*, cit. III p., q. 64, art. 7; Natal. Alex., *Theol. dogmat. et moral.*, l. II, cap. 7, art. 4; Petrus Gazzanica, dissert. 2, *De sacram.*, c. 1; S. Thomas supra allatam doctrinam pariter amplexi sunt, ipsissimis exscriptis ejus verbis.

Ita quoque sentit Bellarminus, qui postquam cum eodem D. Thoma docuit angelum bonum posse esse extraordinarium sacramentorum ministrum (preferens ad hoc exemplum S. Amphilocheii, quem angelos episcopum ordinasse narrat Nicephorus), id de dæmone negat. «Est autem observandum (sic ille) quod si forte angelus bonus sacramentum aliquod ministraret, illud habendum esset ratum, quia certum esset, id factum esse divina dispensatione extraordinaria.» — Quocirca, prosequitur Bellarminus, refert Nicephorus lib. XI, cap. 20. S. Amphilocheium ab angelis ordinatum episcopum; idque ratum habitum ab episcopis ejus provincie. «(Verum, quæ de angelorum ministerio in sacramentis, vel conferendis, vel etiam conficiendis narratur non facile credi debent, nisi gravibus imitantur testimoniis, ut optime monet Gazzanica, dissert. 2, *De sacram.*, cap. 1.)» «At si diabolus (concludit Bellarm.) idem faceret, iterandum esset sacramentum; quia diabolus nec habet ex se potestatem, nec peculiari Dei dispensatione acciperet, sed sibi usurparet, ut falleret.» *De sacram. in gen.*, lib. 1, cap. 24. Ita pariter tenet Lessius, hoc sane pacto: «Per divinam dispensationem angelus potest esse sacramenti minister... Diabolo tamen in tali ministerio non est credendum, quia Deus hoc nunquam ei committet.» In D. Thom. q. 64, *De ministr. sacram.*, art. 7, d. 5.

Bonacina vero cum Pitig. et aliis in hac re ita distinguit, nimirum: «Si aliquid sacramentum de potentia ordinaria administraretur a diabolo, non habendum esset validum, sed invalidum, quia non

sunt spiritus mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum. » (4. Dicit tamen, et ad longum probat Lugo in *Respons. moral.*, lib. 1, dub. 16, quem sequitur La Croix, lib. v, part. 1, n. 50, quod, si quis a S. Petro vel alio beato extraordinarie absolveretur a peccatis, esset quidem vere absolutus et justificatus; attamen maneret obligatus ad confitenda mortalia homini viatori et ad subjicienda directe clavibus Ecclesiae militantis; sicuti qui nunc sua peccata Christo confitetur, et ab eo per contritionem impetrat eorum remissionem, non ideo liberatur ab obligatione confitendi eadem peccata ministris Ecclesiae, ut praecepto divino et ecclesiastico sacramentalis confessionis satisfaciatur.

(5. Non quisvis homo est cujusvis sacramenti minister, uti fides catholica docet contra Lutherum *Lib. de instituendis Ecclesiae ministris*, edito anno 1523, ubi docet omnibus baptizatis eandem inesse potestatem in sacramentis administrandis: « Sacerdos, inquit, in Novo praesertim Testamento non fit, sed nascitur, non ordinatur, sed creatur; nascitur autem in baptismo, suntque prorsus omnes Christiani sacerdotes. » At nostra conclusio, ultra quam quod habetur ex plurimis sacrae Scripturae locis, est expresse definita a concilio Trident. sess. vii, *De sacrament. in genere*, canon. 10, *De confirmat.*, canon. 2; *De eucharistia*, sess. xxii, canon. 2; *De poenitent.*, sess. xiv, canon. 10; *De extrema unctione*, canon. 4; *De confirmat. et ordin.* sess. xxiii, canon. 7.

(6. Minister baptismi quis esse possit? Vide BAPTISMUS. Confirmationis? Vide CONFIRMATIO. Eucharistiae? Vide EUCHARISTIA. Poenitentiae? Vide POENITENTIAE SACRAMENTUM. Extremae unctionis? Vide EXTREMA UNCTIO. Ordinis? Vide ORDO. Matrimonii? Vide MATRIMONIUM.

(7. Qualis intentio requiratur in ministro sacramentorum? Vide verb. INTENTIO, a. n. 14 ad 43.

(8. Minister sacramentorum debet habere attentionem internam, ut valide sacramentum conficiat; debet enim habere advertentiam et applicationem aliquam animi ad id quod facit; alioquin confectio sacramenti non esset actio humana, nec posset dici facta in nomine, aut persona Christi, ut requiritur. *Communis*. (9. Ad hoc autem sufficit attentio virtualis, ut dictum est de intentione virtuali, *loc. cit.* (10. Quenam autem sit attentio virtualis, actualis et habitualis interna et externa? Vide verb. ATTENTIO. (11. Minister voluntarie distractus in conficiendis sacramentis, quamvis ordinarie non peccet, nisi venialiter, uti cum communi docet Gobat, in *Exper.*, tract. 2,

est credibile Deum unquam daturum diabolo facultatem conferendi vera sacramenta, cum daemone intendat hominis perditionem, et non salutem...

« Non nego tamen, prosequitur is idem scriptor, quin demon de potentia Dei absoluta possit in assumpto corpore valide baptizare de mandato Dei,

n. 102, potest tamen peccare mortaliter, si sit periculum errandi in formis praesertim longioribus, aut in applicatione debita materiae, ut notat idem Gobat, tract. 1, n. 97, et La Croix, l. vi, part. 1, n. 85, citans Tamburin., *De sacramentis*, l. i, c. 2, § 1, n. 4, et *De sacrific.*, lib. ii, cap. 3, n. 9, ubi dicit eum peccaturum mortaliter, qui voluntarie distraheretur in consecratione eucharistiae, cum sic irreverenter se gerere in sacrificio sit gravis irreverentia.

(12. Minister sacramenti ad tale sacramentum specialiter consecratus, solemniter ex officio conficiens sacramentum in statu peccati mortalis, peccat mortaliter, nisi adsit casus extremae necessitatis, vel impossibilitatis. *Communis*. Est enim ex se gravis irreverentiae sacramentum a Christo institutum ad nostram sanctificationem confici a ministro ad id consecrato, in statu peccati mortalis; cum sancta sint sancte tractanda; unde *Leviticus* cap. xxi dicitur: (Sacerdotes) *incensum Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. Exodi xix: Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur; et Isai. lvi: Mundamini, qui fertis vasa Domini; et cap. Omnia 78, caus. 1, quaest. 1, ex verbis S. Augustini habetur: « Omnia sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus. »*

(13. Dicitur autem notanter specialiter consecratus, quia laici, et non sacerdotes baptizantes urgente necessitate in statu peccati mortalis, non committunt novum peccatum mortale. Cum enim ipsi non sint ad id specialiter consecrati, nec ex officio ministrant, sed mere per accidens, non est in eis tanta deformitas, et irreverentia sacramentum baptismi ministrare in statu peccati mortalis. *Communis*. (14. Dicitur etiam notanter « nisi adsit casus extremae necessitatis, vel impossibilitatis; » quia etiam sacerdos non peccat mortaliter, cum in casu extremae necessitatis pueri agonizantis, et ob casum inopinatum perplexus et perturbatus, seu sine advertentia, non prius contritus de peccato mortali, in quo existit, ipsum puerum illico baptizat, seu moribundum adultum absolvit. *Communis*, testibus Dicastil., dist. 3, n. 214; Esparza, qu. 18, art. 4; La Croix, lib. vi, part. 1, n. 92. (15. Quinimo, teste Gormaz, n. 141 et 151, cum La Croix, *loc. cit.*, n. 91 et 92, varii volunt, tam laicum quam sacerdotem privatim in casu extremae necessitatis puerum agonizantem baptizantes, et sacerdotem in pari necessitate adultum absolventem, nullum peccatum, ne quidem veniale, committere, si interim, urgente necessitate, nequeant se tam cito disponere ad contritionem, imo potius eos peccare, si in tali extrema necessitate non baptizent, seu non absolvant, quia jus divinum et cha-

quia daemone est creatura Deo subjecta, illique debet obedire. » *De sacramentis in gen.*, disput. 1, quaest. 3, punct. 1, § proposit., n. 12.

Atque haec ad auctoris illustrationem, praesertim quantum ad ea quae sub num. 3 h. art. tradit, dicta sunt.

ritas magis obligat ad procurandam salutem proximi, quam ad attendendam reverentiam sacramenti, contra quam non agitur in tali necessitate: sicut inquit Dicastil, et ex ipso La Croix, *loc. cit.*, irreverentia est, per se loquendo, si famulus tecto capite transeat dominum, attamen si videat filium domini submergendum, nisi tecto capite accurrat ad eripiendum a naufragio filium domini, nullam in hunc committit irreverentiam, sed potius rem gratissimam agit, et culpandus esset si non ita faceret. Et sic cum aliis tenent Lugo, *De sacramentis in genere*, disp. 8, sect. 9, n. 151; Gobat, in *Exper.*, tract. 1, n. 53; Sporer, tom. III, part. 1, cap. 3, n. 176, et alii.

(16. Minister sacramenti baptismi et poenitentiae existens in peccato mortali peccat mortaliter, quoties illud extra casum necessitatis ministrat, interruptis moraliter ministeriis. *Communis*. (17. An autem, si minister ordinarius, seu alius sacerdos una vice, et velut uno moraliter ministerio duos gemellos, aut etiam plures continue baptizet vel absolvat, peccet toties quoties successive baptizet seu absolvat? Vide verb. CONFESSARIUS, art. 1, n. 46 et 47.

(18. Sacerdos mortaliter peccat quoties in mortali celebrat, et in die Natalis Domini tria sacra consequenter in eodem altari celebrans, tria peccata mortalia committit, quia quodlibet missae sacrificium est unum per se distinctum ministerium ad aliud subsequens minime ordinatum. Sporer, *loc. cit.*, n. 175, et alii communiter.

(19. Item mortaliter peccat sacerdos conferens in statu peccati mortalis extremam unctionem. (20. Item mortaliter peccat episcopus conferens in statu peccati mortalis confirmationem, et ordines. *Communis*. (21. Item mortaliter peccat contrahens matrimonium in mortali, non solum prout est suscipiens, ut tenent communiter doctores, sed etiam prout est ministrans, ut absolute tenent La Croix, *loc. cit.*, n. 93; Henno, tom. II, tract. *De sacram.*, disp. 4, quaest. 3, art. 3, resolut. 2, et alii communius volentes, sic contrahentem esse reum duplicis culpa: utrumque tamen peccatum sufficienter explicat dicendo in confessione, se in mortali contraxisse, quia suscipiendo ministrat, et ministrando suscipit. (22. Parochus autem non peccat mortaliter, quia in nostra sententia non est minister matrimonii, sed solum testis publicus, et auctoritativus; qui tamen tenent ipsum esse ministrum, et non contrahentes, consequenter dicere debent, eum peccare mortaliter, si ministret in statu peccati mortalis.

(23. Quamvis autem ministrans sacramenta extra casum necessitatis in statu peccati mortalis peccet mortaliter, valide tamen illa ministrat. Est de fide ex Trid., sess. vi, canon. 13, ibi: « Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quae ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anathema sit. » (24. Sicuti etiam ad valo-

rem baptismi non requiritur fides ministri, dummodo, applicata debita materia et forma, intendat facere quod facit Ecclesia, seu faciunt Christiani. Est de fide ex variis conciliis, et signanter ex Trident., sess. vii, canon. 4, ibi: « Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab haereticis, non esse verum baptismum, anathema sit. »

(25. Ministri sacri, qui ministrando sacramentum non conficiunt, sed sacramentum jam confectum solum aliis applicant aut distribuunt, ut qui Eucharistiam jam confectam distribuunt in statu peccati mortalis, probabilius non peccant mortaliter; sicuti nec peccant mortaliter qui in statu peccati mortalis conficiunt sacramentalia, aut res sacras tractant, ut episcopus in mortali primam tonsuram conferens, abbas benedicens sacras virgines, consecrans ecclesias, altaria, campanas, vasa, chrisma consecrans, oleumve infirmorum benedicens, vestes sacras, et hujusmodi. Item parochus in mortali matrimonio assistens, nuptias benedicens, seu solemnitates baptismi ab alio privatim in necessitate collati supplens; item sacerdos in mortali eucharistiam intra vel extra missam tangens, de loco ad locum transferens, aquam, sal, panem, domum et alia hujusmodi benedicens; item diaconus et subdiaconus in mortali ministrans, Evangelium vel Epistolam solemniter cantans; concionator publice verbum Dei praedicans, et sic de aliis similibus. Sic quoad omnia supradicta Vasquez, d. 136, n. 39; Amicus, d. 9, n. 6; Bernal., d. 17, § 3; Sporer, *loc. cit.*, num. 174, et alii multi cum Diana, part. ii, tract. 4, resolut. 23, et Aversa, *De euchar.*, quaest. 10, sect. 3, § Quinto, et alii communius, teste Sporer, *loc. cit.*; La Croix, lib. vi, part. 1, n. 86 et sequent., et ratio est quia omnes istae actiones non tendunt immediate ad sanctificandum hominem, sicut actiones propriae sacramentales; adeoque, quamvis aliqua irreverentia non careant, tamen non est irreverentia tam gravis, ut culpam mortalem constituat, quamvis communiter et ordinarie culpam venialem inducat. Vide in calce hujus artic. *Notas Rom. theol.*

(26. Minister dignior seu sanctior non causat plus gratiae seu majorem gratiam ex vi sacramenti seu ex opere operato. *Communis*, per textum in cap. *Si justius* 30, c. *Sic autem* 32, c. *Nec fortis* 33, c. *Negue in homine* 36, c. *Dominus* 87, c. *Christus* 88, c. *Non nocet* 89, caus. 1, quaest. 1, cum similibus; potest tamen minister dignior seu sanctior ex opere operantis, id est opere vel oratione sua mereri, aut impetrare suscipienti majores gratias; at hoc per accidens se habet ad sacramentum; La Croix, *loc. cit.*, n. 90, et alii passim.

(27. Minister per se loquendo peccat mortaliter, si sacramentum scienter ministret indigno. *Communis* ex illo *Matthaei* vii, 7, ibi: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*. Dicitur autem notanter per se loquendo, quia interdum excusant damnum ministrantis,